

Dissertatio de ovo humano, qua ... omnes ... ad ... orationem de generatione hominis ex ovo ... / invitat P. Brand.

Contributors

Brand, Paul, -1687.

Publication/Creation

Hafniae : Typis Matthiae Georgii F. Godicchenii, 1677.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/geagnb8p>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO
DE
OVO HUMANO,

QVA

REGIÆ ACADEMIÆ HAFNIENSIS
MAGNIFICUM DOMINUM RECTOREM,
EXCELLENTISSIMOS PROFESSORES ET DOCTORES,
CLARISSIMOS ARTIUM LIBERALIUM MAGISTROS,
ORNATISSIMOS AC LITERATISSIMOS CIVES ACADEMICOS,
ALIOSQUE ERUDITOS, HAFNIÆ QUI AGUNT, OMNES,
PATRONOS, FAUTORES, AMICOS,

AD

BENEVOLE AUSCULTANDAM

ORATIONEM

DE

GENERATIONE HOMINIS
EX OVO,

perquam officiosè humaniterque invitatur

PAULUS BRAND,

*M*Med. Doctor. *M.*

Psalm. 95.

Venite, exultemus JEHOVÆ. Jubilemus Rupi salutis nostræ. Præveniamus faciem ejus cum laude: psalmis jubilemus ei. Quia DEUS magnus est JEHOVA; & Rex magnus supra omnes Deos. Quia in manu ejus sunt ima terræ: & altitudines montium ipsius sunt. Quia ipsius est mare, & ipse fecit illud: & solum manus ejus formaverunt. Venite, adoremus & procidamus, genu flectamus coram facie JEHOVÆ factoris nostri.

HAFNIÆ,

Typis MATTHIÆ GEORGII F. GODICCHENII, Anno 1677.

PErdoctum hoc, & ad mentem recentio-
rum Prosectorum conscriptum Doctissimi
Doctoris PAULI BRAND, de Ovo Program-
ma, non possum non ex merito laudare, & ad pu-
blicam lucem Typographo nostro commendare.
Hafn. XXXI. Jan. 1677.

TH. BARTHOLINUS.

93762

LECTORI BENEVOLO
PAULUS BRAND
S. D. P.



Acrocosmum ex ovo prodiisse fabulata est Antiquitas. Hinc naturam ipsam, naturæque primordia convivis suis in ovo exhibituri, ab ovo convivia olim sua ordiebantur Romani. Et Autore *Plutarcho*, in orgiis ovum *Baccho* dicatum sacramtumque est, veluti simulacrum mundi, è quo cuncta nata sunt, cujusque complexu cuncta continentur.

Microcosmum autem ovo propriè dicto suos debere natales, præter evidentem *αὐτοψίαν* omnis recentiorum curiosorum chorus pleno gutture loquitur. Nulla sanè unquam in hac nuper exorta observationum luce prodiit observatio & nobilior & illustrior & admirabilior, atque hæc de testium muliebrium ovis, post fœcundam sui irradiationem versus uterum devolutis, ibidemque ad fœtus perfectionem usque fœtis & servatis. Exsulant jam & gentium nusquam hospitium inveniunt è foro medico eliminatæ illæ in scholis diu multumque tritæ & fictæ de genituræ utriusque parentis commixtione & facultate plastica hypotheses: Evanescent *Paganorum* somnia de animalium generatione æquivocâ seu è putri materia: Suspecta dubiaque Galenicæ militiæ stipatorum de corporis humani fabricâ ex Elementorum quaternione, dogmata redduntur, quæ teste accuratissimo scientiarum Restauratore *Francisco Bacone de Verulamio*, quatuor complexionum, quatuor humorum, quatuor primarum qualitatuum conjugationes post se traxêre, & tanquam malignum aliquod infaustumque sidus infinitam & Medicinæ nec non compluribus mechanicis rebus sterilitatem attulêre: Ut nihil dicam de *Theophrasti Paracelsi* logis, quibus se modò secretò artisque beneficio homunculum in ampulla Chemica fabricari posse gloriôsè jactat; quamvis suffragante illustri Chemico & Polyhistore *Berrichio*, hoc nomine excusari possit, dum Sophorum mysterium & secretissimum lapidis Chrysopæi semen ovo inclusum philosophico, (quod avium ovis simile esse tradit magnus per ignem

Philosophus *Helmontius tr. Form. ort.*) sub hoc velamine occultare voluit. Ovat ubique ovum, verum Naturæ Gazophylacium, è quo suos promit thesauros; Laboratorium, in quo se quotidiè exercet; Domicilium demum, in quo, ceu in dolio suo *Diogenes* latet & hospitatur. Ex ovo nascitur, quicquid solum, quicquid salum fovet. Ex vegetabilibus, ex animalibus ova: ex ovis vicissim vegetabilia, ex ovis animalia. Videtur ipse Naturæ Autor ovo delectatus, quando ipsam hanc mirabilem pariter ac delectabilem mundi machinam rotundam sive ovalem creavit, si Astrologorum oraculis locus est: Videtur pro oblectamento habuisse ovum, quando Protoplastum ex glebâ sive ovali terræ massâ formavit, pictorum ad instar, qui hominis vultum sive lineis sive colorum lenociniis delineaturi, ab ovo ordiuntur. Jocatur & ipsa in ovo Natura, dum hodiè foetus humanos ex mulierum ovis excludit. Hæc ova, in foeminarum testibus, rectius ovario recondita, ceu grande & stupendum Naturæ Mysterium, quod primo in limine multis paradoxum videbitur, & tanquam falsum rejicietur ab iis, qui nil nisi quod ipsi sentiunt, rectum putant, primus non ita pridem descripsit Chemicus & Anatomicus celeberrimus Dn. D. *Kerckeringius*, Medicus Amstelodamensis: *Ora*, inquit, *quæ in testibus foeminarum, non tantum earum, quæ per conjugii usum fecundæ sunt, sed etiam virginum, reperiuntur, sunt pisi viridis magnitudine, intra istam latitudinem, quæ pisorum determinat quantitatem, variantia. Intus latet humor, qui, sicut aliorum ovorum albumen & vitellus, dum coquitur, indurescit: sapore prædita sunt peregrino & ingrato: pellicula, vel pelliculis extrinsecus circumdantur, quæ postquam in uterum prolapsa sunt, brevi tempore extenduntur, & in amnion, chorionque commutantur: Quæ Autoris verba veritatis puteum sapere, repetitæ sectiones Anatomicae & me docuere. Vidit autem quasi per nebulam & umbram hæc ipsa ova multis retrò seculis nondum admissus in lucem Philosophorum Alpha *Aristoteles*: (Non enim affulget orbi plenum solis jubar, nisi præcedente aurorâ: Nec sacra sua recludit Natura simul: Distribuit per intervalla, quæ sciri cupit) Vidit *Guilielmus Harveus*, Britannus, alter Columbus microcosmum pererrans, aperteque pronuncians: OMNIA EX OVO. Nos asserimus, inquit Exercitatione prima de Animalium generatione, omnia omnino animalia, etiam vivipara, atque hominem adeò ipsum ex ovo progigni; primosque eo-*

rum conceptus, è quibus factus sunt, ova quædam esse; ut & semina plantarum omnium. Vidit quoque & cæteris Naturæ Mystis ad evolendum tam sacrum Naturæ arcanum primus glaciem fregit Celebratissimus Anatomiz Atlas *Nicolaus Stenonius*, Nostras, in *Anatomica muscutorum descriptione*, Anno 1667. in lucem emissâ, dilucidè breviterque memorans: *Dari in fæminis testes ovario analogos*; id quod ante ipsum neminem pronunciaſſe publicè, certò credimus. Verùm enimverò immortalis *Harveo*, rerum ad animalium *γένεσιν* pertinentium scrutatori indefesso ac felici nequaquàm vitio vertendum, quod testiculorum muliebrium ova, ortûs humani principia nova, quæ nec *Oedipus* sagax odoratus est, haud detexerit & aprico exposuerit; abundè nihilominus curioso ac literato orbi satisfecit, quinimò suo exercitatorum aurearum fasciculo tam magnificè de Philosophorum Medicorumque choro meritus est, ut potius nihil votis exoptandum omnibus, quàm ut his & secuturis temporibus plures emergant *Harvei*, quò animalium intramatricem ovumque productionis negotium, in cubilibus plus quàm *Eleusiniis* delitescens. & infinitæ, quæ in eodem adhuc supersunt, tricæ & difficultates sensim clarius enodentur. Cæterum, non dicam nunc, quantum lucis ex hac recens nata observatione affulgeat *Physicis*, circa sterilitatis aliorumque muliebrium affectuum causas rimandas occupatis, & quàm dilucidè benè multas inexplicabiles aliàs nodos *Gordios* solvat, & non paucis arduis phænomenis, (cur gemelli nascantur? cur prole numerosâ fœcundas matres sapius augeat *Juno Lucina*? Item: cur monstra luci donentur? &c.) eorumque hætenus tenebrarum voragini submersis causis velum detrahat nova hæc de mulierum ovis sententia. Huic novo de ovo humano invento calculum quoque apponere videtur tritum communi sermone proverbium Germanicum: *Er ist faum aus dem Ey herfür getroffen* / id est, vix dum è testâ prodiit. Ridiculum est, ovum natum fuisse ex muliere scribere haud erubescit *Natalis Comes*. *Æsculapius* tamen *Borealis* ac Medicorum hujus seculi facilè Princeps, *Th. Bartholinus*, Promotor ac Præceptor meus sanctè venerandus, publicis scriptis cedro immortalis quæ inscribantur dignissimis, memoriæ prodidit: Gravidam mulierem Norvegicam Anno 1639. d. 27. Maji novem antèa liberorum matrem, maximis cùm vexaretur partûs doloribus, vicinas convocasse consilii capiundi causa, eodemque die circa ve-

speram eisdem præsentibus, ovum peperisse gallinaceo prorsus simile, quod cum fregissent fœminæ præsentes, vitello & albumine communi ovo prorsus respondere observarunt. Hinc 18. Aprilis circa meridiem adstantibus iisdem secundum peperisse ovum, figura nihil prorsus à priori differens. Asservavit hoc in suo Museo *Olaus Wormius*, Vir de Republicâ Medicâ egregiè meritis, hujusque inclytæ Academiæ Regiæ Professor, dum viveret, celeberrimus. Post duodecim hebdomadarum imprægnationem Uxorem Civis Hafniensis ovum enixam, testis est suprâ laudatus *Bartholinus*. Ita Lipsiæ nobilissima fœmina massam sanguinis instar ovi gallinæ cum menstruâ purgatione rejecit, in quâ levi incisione apertâ delituit abortus masculini generis, magnitudine pini nucleum æquans. Et curiosissimus pariter ac Religiosissimus Dn. D. *Job. Swamerdamius* Anatomico Amstelodamensis, Fautor ac Amicus meus integerrimus nuperrimè in celeberrimâ hâc Minervæ urbe coràm fassus est mihi, se inter varia balsamo infarta corpuscula perpetuò duratura, etiâ artificiosè condita ova, è cadaveris fœminei ovario studiosè enucleata, domi possidere. Ejusmodi ova sæpissimè excernunt tam matrimonii fœdere copulatæ, quàm Virgines Virgo maturæ, viduæq; juniores, potissimū lunare tributum exigente natura, libidinisve œstro stimulante: Illarum prolifera; Harum verò zephyria sive falsum germen meritò audiunt. Quod si autem verecundi sexûs pudor ejusmodi grumos à naturâ expurgatos accuratius examinare haud fastidiret, nullus ambigo, quin cruore larvata sese proderent ova. Hæc ova, quâ viâ ab Archeo genitali irradiata seu fœcundata & ex ovarii carceribus extrusa in uterum deferantur inque fœtum grandiore sensim efformentur, demùm post novem retrò lapsos menses solares excludantur, ante meum hinc ad peregrinas oras ab initum oratione quadam adumbrare animo sedet. Dixit olim de ovo mellita *Puteani* svada; ast, qui Viri Genius fuit, philologicè. Ego, ut rei inauditæ, raræ atq; admirandæ novitate aliqua sacris Asclepiadeis non initiatorum aures demulceam, physicè de ovo humano, hominisque, quem *Trismegistus* miraculum vocavit, ex ovo generatione dicam. Nec quicquam profectò eximius, excellentius, digniusve ab hominibus perpendi potest ipso homine, creaturarum omnium complemento, mundi que majoris compendio ac microcosmo, quodque rei cardo est, ad DEI Creatoris sui imaginem creato, Sanctissimus

ac Regius Vates mirabilem corporis sui fabricam considerans in psalmo 139. Creatoris sui laudes sic cecinit:

*Compago mira corporis nostri, tue
Miraculum est solertia.
Stupenda cujus opera nec nostra assequi
Sed nec negare, mens potest.
Nam nulla nostri tam minuta est corporis
Pars, ut tuam scientiam
Fugiat: nec ulla claustra pectoris latent
Te conditorem pectoris.
Masse recentis rudia adhuc primordia,
Rudisque masse semina,
Ceu scripta haberes, corporisque lineas,
Motum statumque noveras.
Et membra nondum, quum forent, quid adderent
Dies sciebas singuli.
Hac mente tacitâ cogitanti mihi, stupor
Torporque sensus alligat.
Animus labascit, quum tue miracula
Perpendo mecum dextera
Citius inibo numerum arenae in littore
Quot voluat aestus corpora:
Quamvis ocellis pervigil nunquam meis
Dulcem soporem indulsero.*

Mentibus prætereà nostris sufficienter instillatum à sapientioribus illud *γινώσκεισθαι τὸν*, quod è cœlo descendisse inquit Juvenalis. Hinc summus illæ primitivæ Ecclesiæ Doctor S. Augustinus, ut se suumque Creatorem ritè cognosceret, calidè & ex intimis cordis penetralibus oravit: *Da, gloriose DEUS, nosse Te & nosse me.* Enimverò se ipsum hominem & prima corporis sui principia nosse, omnium meritò hominum interest: Et ad felicitatem, quæ duceret, viam esse suipsius cognitionem, jam olim ipsis Ethnicis ex oraculo Delphico innotuisse perhibent. Quapropter omnium, qui in memoriam noti-

tiae

tiae sui corporis humanae procreationis miraculū rudi penicillo in ovo delineatum videre amant, praesentiam honorificam, favorem, benevolentiam & attentionem futuro die 21. Martii, hora 9. peractis sacris matutinis, in Acroatorio superiori exopto atq; exspecto. Non solum oratione ibidem persequar rem cathedra & exspectatione Vestra haud indignam; sed & omnem sedulo movebo lapidem, ut pro hac favoris & amicitiae tessera vicissim universis ac singulis non solum omnia humanitatis officia cum observantia debita prolixè consent; sed & studia quoque mea quavis occasione, loco & tempore promptissima, semper atque paratissima. Dabam Hafniae è Museo d. 30. Januarii, hujus novi felicibus auspiciis anni 1677.

P Arturitingenium, niveasque excludere testas,
Atque novos orbestandem aperire juvat.
Credimus, abstrusis ova hac latuisse cavernis,
Ut gnava exirent auxiliante manu.
Impiger extrema sic gemmas haurit abyssus
Indus, & è calido tramite scalpit Arabs.
Sit fas, Margarides conchis tribuisse, sed illas
Eruit in lucem non nisi dextra sagax.
Concha tumet, foecunda suo jam rore, tot ova
Non fallax culter per nova secula rotat.
Ovum gallinae mirot, compendia rerum
Sub crusta tenui parva theatra tenent.
Ovum hominis veneror, sanctae genetricis honori
Debebunt gentes, debet Apella Καλώς!
Reddo ovum, tu conde sinu, vel svaviter alis
Obtege, & in glumis semina clara fove.
Reddo ovum, tibi reddo auri argentique fodinam,
Albumen corpus, corque vitellus erit.
Charta haec sit cortex, pro albumine proque vitello,
Sepia, sed Tibi nunc candida, PAULE, fluet.

*Filio fratris natu maximi, ad magna indefesso studio enitenti,
cum voto felicitatis scribeb. Nycopiae Falstrorum*

FRIDERICUS BRANDT.